

cunq; diei motum de quo ambigis, secundum doctrinam iam expositam facile corriges. Tabulæ autem æquationum planetarum de facili corrigi non possunt, nisi de nouo æquationes eorum per magisteria subtilia geometricæ demonstrantur. Superficialiter tamen, si de aliqua linea æquationum dubitaueris, Accipe duas lineas, ei de qua dubitas, præcedentem scilicet & sequentem proximas, & eas simul iunge, & productum media, & proueniet linea media, scilicet de qua dubitasti uel quasi.

Habito principio, annos mundi, natiuitatum, uel aliorum principiorum reuoluere.

Propositio XXXII.

Ræscribe principium ipsum, notando an fuerit in bisextili, aut in primo, secundo uel tertio post bisextum, & hoc serua tanquam radicem, Deinde considera quot anni completi ab eo principio usq; ad instans reuolutionis eius quam quæris transierint, & cum eodem numero annorum si excedit 40. intrabis primo cum annis collectis, uel cum minori propinquiori, & tempus quod ibidem ponitur cum titulo minutionis superius posito, extra scribe. Deinde cum residuo si est, intra in annis expansis, & in directo eius tempus scriptum in parte anni bisextilis, si principium tuum fuit in bisextili, & post locum bisexti, aut in parte anni primi post bisextum, aut secundi, aut tertij, uti fuit principium unà cum titulo additionis aut minutionis extra scribe. Minue itaq; de his quod minuendum est, & adde quod addendum est cum tempore principij, & proueniet reuolutio non æquata. Eam autem sic æquabis. Intra cum gradu Solis principij in tabulam æquationum reuolutionum, & in directo eius sub signo Solis principij, numerum secundorum repertum cum suo titulo extra scribe, & ipsum multiplica per numerum annorum intermediorum inter principium & tuæ reuolutionis instans, & de producto fac secundum titulum æquationis, addendo aut minuendo cum tempore reuolutionis non æquata, & exhibit reuolutio æquata, quæ erit diebus æquatis, eo quod principium est diebus æquatis. Si uero principium est diebus inæquatis, erit etiam reuolutio diebus inæquatis. Exemplo apertius in rem deuenies. Volo reuolutionem annorum mundi & introitum Solis in primum punctum signi Arietis pro anno Christi 1536. currente, ab illis annis currentibus, subtraho annos principij currentes ad quos radices ordinatæ sunt, qui sunt anni Christi 1531. currentes, & remanebunt anni 5. completi ab isto principio usq; ad instans reuolutionis propositæ. Cum quibus intro tabulam annorum expansorum in columnulam tertij post bisextilem, eo quod radix fundata est ad tertium post bisextilem & reperio 18. horas 53. minu. 40. secund. cum titulo M. quæ subscribo radici pro introitu Solis in γ scilicet 10. diebus 18. ho. 45. minu. Nunc propter literam M. ibidem repertam, subtrahe numerum horarum & minutarum, & secundorum ex directo 5 annorum inuentorum à tempore radices, & proueniunt dies 9. Martij post meridiæ horæ 23. minut. 51. secund. 20. Introitus Solis in primum punctum Arietis. Nunc pro æquatione huius introitus, intro tabulam æquationis reuolutionum cum 0. gra. Arietis, & reperio 0. secund. cum titulo M. ergo iste introitus est de facto æquatus.